

ter nostros Seraphinos & illos ignitos serpentes, si externam membrorum dispositionem respexeris, nullam esse convenientiam.

§ 16.

Nobis itaque non placet *Tenisonii* conjectura, quam in *libro of idolatry* ch. XIV. p. 354. protulit. Existimat ille: Seraphinos, qui in nostra visione Schechinæ τὸ λογος comites fuerunt, etiam cum eadem Schechina Adamo ante lapsum in paradiso esse visos, sub serpentum specie. Satanam deinde forma ejusmodi Seraphi assumpta Evæ apparuisse, quæ Seraphum videre credens cum eo locuta est. Quamvis rationem reddat, quare Evam Satanæ sub serpentis ignitæ specie apparentis terror non invaserit; ea tamen difficultas conjecturæ obstat, quod in descriptione nostrorum Seraphinorum nullam cum serpentibus ignitis similitudinem inveniamus.

§. 17.

Conspectis Seraphinorum membris ad considerationem speciei sub qua apparuerunt, progredimur. Hanc ipsa vox Seraphim nobis quodammodo explicare videtur. שרף est urere, comburere, incendere. *Aquila & Symmachus* ἐμπρησαι comburere *Levit. VIII. 7.* & alibi. LXX, καίειν urere, & καὶ ἀκαίειν comburere. Incertus: ἐμπυριζειν inflammare *Levit. X. 6.* Inde שרף serpens urens, prester. *Aquila* ἐμπρησης adurens. *Deut. I. 15.* ubi LXX. διακνων mordens. Vulgatus flatu adurens. *Conf. Montfauconii Lexicon Hexapl. Orig. annexum. Aquilans*, qui serpentem ἐμπρησην appellat, explicant LXX. qui mordentem appellant: Morsum ergo serpentum ustionem appellarunt antiqui. Nostri Seraphim *Symmacho* σεραφειν LXX σεραφειν audiunt voce non explicata. *Procopius* eodem sensu dixit: διασηνηνυελαι δε σεραφειν, ἐμπρησαι ητοι θεγμαϊνοντες. *Seraphim autem si interpreteris flagrantes seu ferventes sonabit.* Eos latine flammantes vel igneos commode appel-

appel-